

mum & inculta, ab hominibus Dei utriusque ordinis paulatim habitabilis reddita est, excisis filvis, præcisis rupibus, mansuefacta terra, subacta solo, inducta gleba, conciliata fertilitate: inuenta est in regionem amoenitas: instructæ villæ, vici instaurati & oppida: constituti in interiore etiam Nigræ Silvæ recessu pagi, atque in his castra, arces sedes nobilium, quos milites vocabant, dynastarum etiam, comitum ac principum demum: quod in historia nostra ad statum politicum facit. Quoad ecclesiasticum vero ipsa cœnobia potissima gentis ecclesiasticæ pars sunt, dum illorum incolæ ad clericatum sunt assumti: a quibus adeo nihil ministerii sacri in sacerdotio Christi potuit, aut etiamnum potest esse alienum.

Ex dictis palam fit historiæ monasticæ amplitudo in historia univèrsali sacra & profana: quod passim iam est opere ipso demonstratum ab illis omnibus, qui aut generales Ordinum per orbem vel provincias, aut particulares monasteriorum in lucem protulerunt annales; id quod non monachi modo ipsi ac religiosi, verum etiam celeberrimi tum catholici, cum a catholicis quoque scriptores faciendum existimarunt.

Hos inter Ioannes Marshamus Anglus numerandus venit in *περοπυλδιω* Monastici Anglicani, quod seculo præterito a Rogero Dodsworth & Gulielmo Dugdale conscriptum, ac Londini an. 1655. editum prostat. *Benefactum hoc, verba sunt Marshami, labore indefesso, & triginta annorum impendio comparatum, vires capiet a tempore; quum in omnes litterarum studiosos, atque adeo in litteras ipsas collatum sit. Quanti autem interfit rei publicæ litterariæ, naufragas hasce collegisse tabulas, non iudicabit nisi is, qui satis intelligat, quanta fuisset iactura, illas periisse. . . . Quemadmodum pii maiores, reges magnates, alii, templis*  
con-